



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Consideranda tria circa literarum sigillatarum apertionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

394 Literas alie. aper.

scire non decet, aut saltem vnde scire non decet: quia ex alienis secretis non decet acquirere notitiam. Est igitur peccatum iniustæ curiositatis aperire literas sigillatas invito domino. Et quia iniustitia ex suo genere est mortale peccatum formaliter loquendo: ideo actus iste ex suo genere est peccatum mortale, si formaliter fiat. Dupliciter nanq; contingit hoc facere. Primo, formali & per se, hoc est ex intentione iniuriam talem faciendi, sicut detrahens animo detrahendi, & dicens conuicium animo iniuriandi &c. Et sic est mortale: quia iniuria ista non est inter paruulas iniurias: quæ quasi pro nihilo ab hominibus habentur: sed est iniuria æstimata ab hominibus vt patet. Et si quærat, in quo iniustitia hæc nocet proximo: dicendum est quod læditur proximus in proprio iure custodiæ scriptorum suorum: quod contra ius gentium violatur, quasi ius legatorum inanimatorum: communi enim fidei sigilla literarum credita intelliguntur. Alio modo aperiuntur literæ sigillatæ non animo iniuriam hanc irrogandi. Et tunc non propriè incurritur iniustitia: quia non sit iniustum formaliter: sed materialiter, ac per hoc non est peccatū mortale, nisi actus redeat in naturā suæ formæ: aliunde puta ex nocumēto subsequuto in fama, honore, rebus, &c. vel fortè ex excellentia personæ offensæ, puta principis, vel ex alio accidente.

Consideranda tria circa literarum sigillatarum apertionem.

EX his autem habere potes tria specialia. Primum est, quod si quis sigillatas alienas literas legat rati habitationis spe in mittentes, vel ad quem mittitur, excusatur: quia non aperit invito domino: Secundū est, quod si quis huiusmodi literas aperiat ex curiosa leuitate, putans pro certo quod non sunt ibi scriptæ:

res importantiæ, paratus tamen ad secretum: si casu
ibi inuenitur aliquid secreto tenendum, peccat qui-
dem, sed venialiter tantum: quia nec per se facit iniu-
stum, nec per accidens reddit iniustum materialiter
in naturam forinalis iniustitiæ: quia nulum est pe-
riculum nocuenti. Tertium est, quod autoritate
publica ex causa rationabili aperit huiusmodi literas,
non est iniustum, quamuis fiat inuito domino: quia
respublica ius habet prouidendi sibi opportunè: ad
prouidendam autem cautelam publici boni spectat
tempore belli vigilare super insidiis prodicionibus, &
tractatibus, &c. quæ per literas possent significari. Et
idcirco excusantur aperientes huiusmodi literas, de
mandato publico ex causa belli, aut alia rationabili
causa. Et sibi ipsi imputet extraneus vel dominus Ec-
clesiasticus, aut secularis qui mittit literas, si displicet
factum: scire enim debet quod nulli iniuriam facit
qui vitur iure suo. Et hac eadem ratione (quia scili-
cet vitur iure suo) maritus aperit literas vxoris, sed
ad vxorem & pater filiorum, & Prælati religiosorum
sum, & sic de similibus.

*Litigiosus duplex peccatum
incurrere potest.*

Litigium duo significat peccata. Alterum, quod
vocatur contentio, qua quis contra veritatem ex
proposito litigat de qua superius dictum est. Alte-
rum, quod proprium nomen non habet, quo homo
in conuersatione humana omnibus opponit verbo
vel motu aliquo: ac per hoc molestam habet conuer-
sationem: utpote tristitiam ingerens his cum quibus
conuersatur. Est autem peccatum hoc contrarium
affabilitati: qua homo conuersatur cum omnibus de-
lectabiliter ut decet. Et potest hoc peccatum incurrere
dupliciter. Vel formaliter hoc est ex intentione con-
tristandi